

tis beneficio : Nuper concussa, meram vastitiam vidisti, & desolationem subditorum tuorum. Et miraculum eris omnibus, si, erepta libertate Religionis, tuta stabis atq; expers motuum. Poloniæ regnum viguit vigetque, & pro Christiani orbis muro est, inter varias ac penè innumeras Religionem sectas. Apud Ægyptios quatuor vigent sectæ, ut author est Joannes Leo lib. viij. quarum antistites inter se sine odiis concorditer vivunt. Apud Japanos, magnum potentemque populum, novem Religionum sunt genera, integrumq; est omnibus pro libitu quam velit, sectari, adeò ut familias multas reperias, in quibus vir huic, uxor alteri, filius item alteri alterique adhæreat, nec turbat id quidpiam domesticam pacem, uti Epistolæ Japanicæ referunt : Apud Turcas omnis Religio libera est, nulla imperij divisione. Sed quorsum hæc exotica? Annales nostri ævi videantur : Quoties, circa Reformationis incunabula, libellis supplicibus representarunt Imperatori, Regi, & gubernatrici Parmensi, Ecclesiæ nostræ, ex re Patriæ ac Reipub. esse, ut plures una Religionis aut Religionis unius sectæ, earumque exercitia in iis libera permittantur. Conscientiis alioquin vim fieri, & tumultibus novis semper causam dari. Et hæc cum ita sint, mirum utique videri debet, Censores hos nunc directè contrarium adferere, & libertatem aliis concedere, nihil aliud esse, profiteri, quam ruere ad Ecclesiam & cum Ecclesia Reipub. totam evertendam. Hoc est, quod ille ait, sententiam suam veluti aliquod navigium ex Reipub. tempestate moderari & ad fortunæ cursum atque arbitrium inflectere : Concludamus hanc rem dicto uno atque altero, & manū de tabula retrahamus. De Valentiniano refert Ammianus lib. xxv. eum hoc moderamine Principatus sui inclavisse, quod inter Religionum diversitates medius steterit, nec quemquam inquietaverit, neque ut hoc aut illud coleretur imperaverit, nec interdictis minacibus subjectorum cervicem ad id quod ipse colebat, inclinaverit. Regis cuiusdam Gothorum hanc fuisse vocem, refert Cassiod. lib. x. variar. Epist. xxvj. Cum Divinitas diversas Religiones esse patiatur, nos unam non audemus imponere. De Maximiliano annales nostri hanc æterna memoria dignissimam sententiam referunt : Nullum enormius peccatum dari posse, quam in conscientias imperium exercere velle. Qui enim conscientius imperare volunt, eos arcem cali invadere & plerumque terræ possessionem perdere. Utinam hæc Christianæ mansuetudinis & æquitatis exempla antistites Religionis ac pacis, ob oculos ponerent Regibus populorum, ac non horrida illa & sæva aliorum Imperatorum, quibus dirum,

istud